



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 7. Pontificis mandatum de hoc negotio magis adhuc discutiendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

quousque saltem a viris ad hoc munus deputatis expurgentur a novis opinionibus, quæ veterum Theologorum, potissimum vero S. Thomæ, & Patrum doctrinæ adversari videbuntur. Cum autem illis, qui causa cadunt, nihil magis solemne sit, quam omnem culpam in Judicium iniquitatem, aut ignorantiam, vel nimiam festinationem rejicere, ita etiam Molinæ fautores spargere haud dubitabant, clarissimos hosce viros, & Censores ab ipso summo Pontifice speciatim designatos, & propter exploratam ipsorum integritatem, atque eruditionem selectos, fuisse iniquo in Societatem animo, occultisque inimicitiis occupatos, nec satis doctos nimia velocitate suam sententiam pronuntiasse: attamen vanæ horum querelæ satis, superque fuerant confutatae.

§. VII.

Pontificis mandatum de hoc negotio magis adhuc discutiendo.

Solutis hisce primi examinis Conventibus Purpurati Censorum Præsides auctoritate Apostolica muniti Gregorio Coronello sacri confessus Secretario negotium dabant, ut omnia Molinianæ concordiae loca in hisce Conventibus notata sedulo colligeret, illorumque distinctum indicem hujus Collegii nomine

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

ne summo Pontifici consignaret, quatenus hac ratione Clemens Papa veluti in speculo Molinianæ doctrinæ summam inspicere posset; ipse enim indefesso studio eruditorum sententias de controversis hisce quæstionibus explorans quorundam Consultorum lucubrationes hac de re adornatas sedulo perlegebat, nequid temere, aut nimis præcipiti consilio sancitum videretur: eapropter priusquam latam Censuram sententiam sua quoque firmaret auctoritate, illamque publicam redderet, causam ulterius dignosci, ac superiorum undecim Congregationum iudicium secundis curis recognosci, sententiamque ab omnibus scripto pronuntiari, ac demum Congregationis Notario consignari præcepit, simulque ab Inquisitore Hispano transmissas Prædicatorum, & Jesuitarum lucubrationes, necnon Præsulum, & Theologorum censuras maturius expendi iussit. His ita sancitis Clemens VIII. die decima quarta Aprilis hoc anno Ferrariam versus, uti promiserat, iter arripuit, secumque ducere statuit Cardinalem Alexandrinum nomine Michaellem Bonellum, qui tamen iniquo prorsus Dominicanorum tempore præcipiti morte sublatus est.